

ctus, flatus, murmura, spasmi intestinales & sensus quasi pali infixi intestino recto. Quæ omnia a stasi sanguinis & ejus impetu facto vehementiori ad has partes defluunt. Similiter id accidit in aliis hæmorrhagiis: sic in narium profluvio facies rubicundior & tumidior fit, pulsant vehementius colli & temporum arteriæ, quæ etiam plus solito conspicuæ sunt, capitis adest dolor grauativus, nares pruriunt, quæ omnia mox sequentem hæmorrhagiam notant. Imo menses mox præsentem patefaciunt lumborum & regionis epigastri- cæ tensio, gravitas, æstus, tempus consuetum, pulsus au- ctus, propter congestionem copiosioris sanguinis cir- ca has partes. Et utcunque hic fluxus in corporibus sanis & qui sanguinem laudabilem continent beneque valent, non accedat, neque iis procurari tam facile de- beat, ut ejus consuetudo fiat, nisi forsan dispositio hæ- reditaria subsit, attamen saluberrimus læpe est & mul- torum morborum medicina. *Solenander* fluxum hæ- morrhoidalem expressis verbis elegans & absolutum naturæ benevalentis & munia sua recte administrantis opus vocat, cui subscribit *Julius Cesar Claudinus Cons. 30* Quod hæmorrhoides fluentes longam sanitatem pro- mittant & a morbis liberent probat exemplo patris sui *Forestus L. 23. obs. 3.* Item quod longam senectutem polliceantur vide *Job. Petrum Lotichium L. 4. C. 10. obs. 1.* & *Eph: nat. Curios. D. 1. § 4. § 5. Obs. 69.* Prudentissime autem circa hunc fluxum consulit *Galenus in L. 3. de hu- mor 20.* inquiens, non semper consultum est, ut sanguis per inferas partes ex hæmorrhoidibus effluat sed tum, cum nigra dejiciuntur, & cum hominis natura multum hujusmodi humoris accumulatur, alioquin natura non est

pali